

127 Respondeo ad objectionem, negando sequelam Majoris.

Ad cuius probationem, nego Majoriorem: tota liquidem ratio, cur Angelus possit naturaliter esse simul in duobus locis inadquisitis, quamvis inter se discontinuis, est non solum quia non excedunt locum adequatum illis Angelis, sed etiam & maxime, quia continentur intra sphaeram activitatis ipsius, seu spatii ejus adequati: duo autem spatia in celo & in terra designata, quantumcumque sint brevia, ratione tamen distantiae qua intercedit inter utrumque, sunt extra sphaeram activitatis cujuscumque Angelis; utpote cum nullus sit Angelus, cujus activitatis sphaera tanta sit, ut a caelo usque in terram possit se extendere. Per quod patet ad confirmationem: quando enim distantia inter aliqua loca maxima est, hoc impedit quominus haec loca intra sphaeram activitatis Angelis continentur, subindeque quod ad illam per modum unius loci comparantur, sed tunc habent rationem plurium; unde cum Angelus non possit in pluribus locis, ut supra sunt, simul existere, non potest etiam in pluribus locis inadquisitis, intra sphaeram activitatis non contentis, se collocare; licet id possit, quando loca partialia & inadquisita intra sphaeram activitatis illius continentur, quia tunc illa se habent per modum unius, ut antea declaratum est.

128 Dices: Loca illa inadquisita, si comparantur ad diversos Angelos, habent rationem plurium locorum, propter discontinuitatem & distantiam quam habent inter se: Ergo ob eandem rationem, respectu unius Angelis, non per modum unius, sed per modum plurium se habent.

129 Respondeo negando Antecedens: Nam loca illa, si comparantur ad distinctos Angelos, habent rationem plurium locorum, non propter distantiam, sed propter pluralitatem virtutis qua attingit illa: unde non sequitur illa respectu ejusdem Angelis habere rationem plurium, cum per unam virtutem attingantur.

130 Inhabis: Licet Angelus per unam virtutem & potentiam loca illa partialia & inadquisita attingat, illa tamen contingit per plures operationes: quae interdum sunt diversae rationis, utpote inferentes & causantes in illis effectus speciei diversos, puta in uno lumen, in alio motum, aut aliud quippiam: Ergo loca illa partialia & inadquisita se habent, etiam respectu ejusdem Angelis, non per modum unius, sed per modum plurium locorum.

131 Sed dato Antecedente, nego Consequentiam: licet enim Angelus loca partialia & inadquisita intra sphaeram suae activitatis contenta, per operationes diverse rationis contingeret, illa tamen non per modum plurium, sed per modum unius loci se haberent: quia tota hujusmodi operationum diversitas, se haberet mere materialiter, & illae respicerentur ab Angelo sub una ratione formali, quantumvis scilicet essent applicativae ad illud spatium, quod potest unice totali operatione tangere & possidere. Unde recte observavit Navaretta, quod si Angelus existens per operationem unicam in loco subsistat, aut in extremitatibus ipsius, & non in medio, vellet operationem mutare, & in aliqua parte incipere operari effectum diverse rationis, non mutaret locum, quia illa mutatio & diversitas operationis se haberet materialiter, eo modo proportionali, quo per mutationem superficierum ambientium, servata eadem distantia ad polos & centrum mundi, res materialis non mutat locum, sed semper censetur in eodem loco formaliter remanere: quia mutatio illa superficierum se habet materialiter, & unice formalis loci, ex determinata distantia ad polos & centrum mundi desumitur.

132 Obijes tertio: Si Angelus simul esset in duobus locis inadquisitis, discontinuis, ac inter se distantibus, haberet simul duplicem praesentiam, scilicet numero distinctam, respectu illorum locorum: Sed hoc non debet admitti: Ergo nec illud. Minor probatur: quia non est assignabilis actio per quam acquireret duplicem illam praesentiam: neque enim posset illam acquirere per motum continuum, nec per discretum. Supponamus v.g. quod per unam horam Angelus fuisset in extrema parte aule, & postea, non relicta illa extrema parte, fieret praesens alteri opposita, non autem intermedia, ibi non esset motus continuus, quia spatium non esset continuum, nec etiam discretus, quia ut infra dicemus, ad motum discretum requiritur derelictio termini a quo, hic autem non dereliceretur terminus a quo, cum supponamus Angelum in priori loco remanere: Ergo &c.

133 Respondeo distinguendo Majoriorem: Duplicem haberet praesentiam, inadquisitam, concedo: adequatam, nego: esset enim illo casu unice duntaxat praesentia adequata, per quam Angelus utrumque locum ut unum adaequate respiceret. Ad probationem in contrarium, dico illam secundam praesentiam non fore acquirendam per motum continuum, nec per discretum, sed per mutationem quandam ad motum discretum reducantur. Sicut enim, quando Angelus occupat minorem locum quam possit, & deinde paulatim occupat locum adequatum, acquirit etiam praesentiam per mutationem, quae reducitur ad motum continuum: ita in proposito acquireret secundam illam praesentiam, per mutationem, quae reduceretur ad motum discretum, de quo infra.

ARTICULUS IV.

Utrum plures Angeli possint simul esse in eodem loco?

Hujus difficultatis solutio facilis est, supposita distinctione loci Angelis in materialem & formalem, naturalem & violentum, adequatum & inadquisitum (de qua supra) & distinctione causae efficientis in principalem & instrumentalem, de qua Philosophi a. Physicorum.

His ergo distinctionibus suppositis.

Dico primo: Plures Angeli possunt simul in eodem loco materiali existere. Probatur: Locus materialis dicitur corpus illud seu partem, in quo Angelus operatur: Sed plures Angeli possunt eidem corpori vel spatio simul se applicare, diversos specie effectus in eo producendo, v.g. si unus Angelus producat lucem in hac parte aeris, & alter motum: quia si non repugnat idem subiectum suscipere diversos effectus, neque repugnat plures Angelos, quae in ratione diversi agentis, illi uniri: Ergo plures Angeli possunt simul in eodem loco materiali existere.

Confirmatur: Tobias 8. dicitur quod Raphael Angelus apprehendit demonium, & reliquit illud in deserto superioris Aegypti: Ergo tunc simul erant in eodem loco deserti duo Angeli, unus ut alligatus, & alius ut alligatus. Item Marci 5. asseritur fuisse in uno homine legionem Demonum, id est sex mille sexcentos sexaginta sex: non est autem credibile, quod singuli diversae corporis illius hominis particulas occupent, licet absolute hoc non esset impossibile: Ergo plures in eadem parte exsistebant, vel per operationem, diversos in ea effectus producendo, vel quod probabilis est, per alligationem, & passivam detentionem.

Dico secundo: plures Angeli non possunt in eodem loco formali adequato & connaturali, per modum causarum principalem, simul existere.

Probatur: Unitas formalis loci in Angelis non sumitur ex eo quod eundem habeant situm, eandemque distantiam ad polos & centrum mundi (ut docent Valquez, & quidam alii) sed ex unitate virtutis operative, & operationis ab ea procedentis: adeo ut totum illud spatium sit formaliter unum locus, ad quod per suam virtutem operativam, & unicam operationem illi adequatam, potest Angelus se extendere, ut articulo praecedenti ostendimus; & rationem ibidem assignavimus, quia nimirum sicut prima ratio qua corpus dicitur esse actu in loco, est superficies a qua continetur; ita prima ratio per quam immediate Angelus est praesens loco, est ejus virtus operativa & operatio: atque adeo sicut ab unitate superficierum corporis ambientis, desumitur unitas loci rei corporeae; ita ab unitate virtutis operative & operationis adaequatae cujuslibet Angelis, desumitur unitas formalis loci ipsius: cum primam in unoquoque genere fit mensura ceterorum: Atqui (subsumo) plures Angeli non possunt eandem numero operationem tanquam causa totales & principales elicere, cum idem numero effectus non possit exire a duabus causis totalibus & adequatis, saltem principalibus, nec inter se subordinatis, ut docet D. Thomas hic art. 3. & tunc probant nostri Thomistae in a. Physicorum, idque omnes concedunt saltem potentia ordinaria, de qua solum in praesenti loquimur: Ergo plures Angeli non possunt in eodem loco formali adequato, per modum causarum principalem existere. Dixi, per modum causarum principalem, quia non repugnat duas causas totales instrumentales eundem numero effectum producere; ut idem S. Doctor 3. p. q. 82. art. 2. ad 2. docet de pluribus sacerdotibus de novo ordinatis, eandem hostiam cum Episcopo ordinante consecrantibus, si simul verba consecrationis profecerint: unde etiam possunt plures Angeli assumi a Deo ut instrumenta, ad producendum in eodem loco unum & eundem effectum; & sic in eodem loco formali, per modum causarum instrumentalem, existere.

Dico tertio: Possunt plures Angeli esse simul in eodem loco, qui sit violentus utriusque, vel qui sit connaturalis uni, & violentus alteri.

Probatur prima pars: Possunt plures Angeli pati ab eodem corpore, per hoc quod illi simul alligantur & detinentur; videmus enim arte magica plures Demones virtute superiorum eidem corpori alligari, & multo magis virtute divina id potest fieri: Ergo cum sint in loco violento per passionem & alligationem (ut art. i. concl. ult. declaravimus) possunt simul plures Angeli in eodem loco violento existere.

Ex quo probata manet secunda pars: Nam cum unus Angelus superior alligat alium inferiorem alicui loco, tunc uterque est in praedicto loco, superior ut agens & alligatus, & ut in loco conaturali, inferior vero ut patiens & alligatus, & tamquam in loco violento: Ergo duo Angeli possunt esse in eodem loco, qui sit conaturalis uni, & violentus alteri.

Dico ultimo: Non repugnat absolute duos vel plures Angelos esse in eodem loco formali, conaturali, partiali & inadquisito: quamvis regulariter bonis Angelis id non conveniat.

Prima

De Motu Locali Angelorum.

Prima pars probatur: Non repugnat quod duo vel plures Angeli suam virtutem, quae alias esset sufficiens ad totum effectum, ita temperent, ut partialiter conjugentur cum alia ad producendum eundem effectum; quia cum sint agentia libera, possunt moderatione uti in exercitio suae virtutis, & sic cooperare illam cum virtute alterius, in ordine ad eundem effectum: Sed hoc est esse in eodem loco formali partialiter & inadquisito, ut patet ex supra dictis: Ergo non repugnat plures Angelos in eodem loco formali & conaturali partialiter & inadquisito existere.

Quod autem hoc bonis, regulariter loquendo, non conveniat, colligitur ex D. Thomas hic art. 3. & in 1. dist. 37. q. 3. art. 3. quia cum Angeli sint suprema entia universalia, & agentia perfectissima, non operantur regulariter ut causae partiales, sed immediate contingunt locum, per modum agentis & continentis perfecti, & quilibet eorum est sufficiens, vel sua, vel virtute divina, ad producendos effectus ad quos destinatur, ut ait S. Doctor locus citatus: unde propterea cuilibet orbis caelesti unicuique tantum Angelus assignari. Dixi, regulariter, quia aliquando plures Angeli, ad denotandum excellentiam effectus, aut etiam in honorem illius propter quem talem operantur effectum, concurrunt ut causae partiales. Sic Christo Domino, propter reverentiam ipsius, plures Angeli ministrabant; quos valde probabile est saepe applicatos fuisse eidem spatio, per ejusdem effectus productionem, quamvis poterint illi applicari, per productionem diversorum effectuum. Addidi, bonis Angelis, quia cum mali perierint suam rectitudinem per peccatum, & in omnibus actionibus quas exercent, congruum rebus ordinem pervertant, non est mirum si in eis nequitia, & maxime ad decipiendos homines, aut torquendos energumenas, affectent interdum se simul eodem loco aut corpori applicare, ad producendum partialiter eundem effectum, quem quilibet seorsum totum posset producere. Et ita contigit videtur in illo energumeno, in cuius corpore Daemonum legio habitabat: quod enim tam diversum in illo corpufculo, vel in diversis ejus partibus, potuissent operari.

DISPUTATIO V.

De motu locali Angelorum.

Ad quest. 53. D. Thomae.

Quia motus localis est acquisitus loci; explicato modo quo competit Angelis esse in loco, sequitur ut de motu locali ipsorum disputemus, ejusque existentiam, naturam, species, ac durationem exponamus.

ARTICULUS I.

An, & quot modis, Angelus possit moveri localiter?

Dico primo, Angelos posse moveri localiter, seu de uno loco transferri in alium: quamvis talis motus, per comparationem ad corporalia, sit tantum aequivoce motus.

Prima pars hujus conclusionis est contra Herveyum & Durandum, qui ex opposito fundamene negant Angelos posse moveri localiter: Herveyus quidem, quia exiliavit Angelos non esse in loco; Durandum vero, quia putavit illos esse ubique: quae duo fundamenta supra a nobis impugnata sunt. Unde haec pars nostra conclusio est aliis Theologis recipitur; & colligitur manifeste ex variis Scripturae locis, quibus asseritur Angelos descendere de caelo, ut Matth. 28. Angelus autem Domini descendit de caelo; vel in caelum ascendere, ut Judicum 13. Cum ascendere flamma altaris in caelum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit: Lucae 2. Discesserunt Angeli a paschivis in caelum. Item Job 1. Sath. ait: Circumfusi terram, & perambulavimus eam. Et Tobias 5. Raphael Angelus dixit: Omnia triverna ejus frequenter ambulavimus.

Ratio etiam suffragatur: Cum enim Angeli intellectus & voluntate praediti sint, possunt cognoscere & appetere praesentiam in aliquo loco, vel absentiam ab illo: Sed illa natura talem appetitum esse tribueret, si potentiam loco movitiam, quae ad illa loca possent accedere, vel ab eis recedere, deieget: Ergo Angeli possunt moveri localiter, seu de uno loco transferri in alium.

Secunda pars conclusionis, quam negant Recentiores, expresse docetur a D. Thomae hic art. 1. ubi ait: Sicut esse in loco, aequivoce convenit corpori & Angelo, ita etiam moveri secundum locum. Et in 1. dist. 37. quest. 4. art. 1. Quia, inquit, moveri in loco, sequitur ad esse in loco, ideo eodem modo convenit Angelo moveri in loco, sicut esse in loco; & utrumque est aequivoce respectu corporalium.

Confirmatur: Motus localis proprie dicitur, qualis est in rebus corporeis, est actus existentis in potentia, ac praeinde actus imperfecti: talem autem non esse motum An-

geli docet idem S. Doctor citatus hic in resp. ad 2. dicens: Motus qui est secundum applicationem virtutis, est existentis in actu; quia virtus rei est secundum quod actu est. Item motus localis in rebus corporeis habet per terminum modum aliquem ubicationis pertinentem ad predicamentum ubi, non autem in Angelis; cum ubi Angelum non sit realiter distinctum ab operatione Angelis, per quam exillit in loco, ut disputatio praecedenti ostensum est: Ergo motus Angelis, comparative ad motum corporeum, est tantum aequivoce motus.

Dico secundo: Angelis possunt moveri localiter motu per se, & motu per accidens.

Prima pars est certa: quia Angelus potest operari successively in diversis corporibus immotis, aut in diversis ejusdem corporis immoti partibus: tunc autem Angelus moveretur localiter, quandoquidem fieret praesens successive diversis locis; & non moveretur per accidens, quia supponitur nihil aliud moveri, sed corpus, in quo successive operatur, manere immotum: Ergo moveretur per se.

Secunda vero pars suadet: Aliquid moveri per accidens, est moveri ad motum alterius cui conjungitur: sive haec conjunctio sit per modum quo forma substantialis, aut accidentalis unitur subiecto; sive ut agens unitur passio; sive ut sacramentaliter contentum sacramentaliter continetur, qui modus est proprius corporis Christi sub speciebus sacramentalibus: Sed Angelus potest uniri corpori, saltem ut agens passio & motor mobilis, & ad motum illius moveri: Ergo motu per accidens moveri potest: sicut anima per accidens movetur ad motum corporis, & corpus Christi in Eucharia, ad motum fumerium. Unde S. Thomas supra quest. 51. art. 3. ad 3. Angeli moventur per accidens, motu hujusmodi corporis, (scilicet qua assuntur) cum sint in eis, sicut motores in mobilibus; & ita sint hic quod non alibi: quod de Deo dicti non potest. Unde licet Deus non moveatur, motu his in quibus est, quia ubique est: Angeli tamen moventur per accidens, ad motum corporum assumptorum.

Dices: Impossibile est, aliquid moveri localiter, nisi mutet locum: Sed Angelus existens in corpore quod movetur, non mutat locum: Ergo non movetur etiam per accidens. Major patet, Minor probatur: Angelus est in loco per operationem: Sed non operatur in alio loco, quam in praedicto corpore: Ergo non mutat locum.

Respondeo distinguendo Majoriorem, nisi mutet locum vel per se, vel per accidens, concedo Majoriorem: per se temper, nego Majoriorem. Similiter distinguo Minoram: Angelus existens in corpore quod movetur, non mutat locum: per se, concedo Minoram: per accidens, nego Minoram. Ad cuius probationem dico, quod licet operatio sit Angelo ratio existendi per se in loco; ratio tamen altius existendi tantum per accidens, non est operatio ipsius, sed motus localis corporis in quo exillit & operatur, subindeque ratione talis motus, non vero altius operationis de novo producta, dicitur Angelus moveri per accidens. Sicut licet informatio sit ratio formalis per quam anima existit in corpore, ut tamen illa per accidens moveri dicatur, non requiritur quod aliud corpus de novo inferret, sed sufficit quod corpus in quo existit, & cui per modum formae conjungitur, moveatur localiter.

Dices rursus: Si Angelus moveatur per accidens ad motum corporis in quo existit, sequeretur illum posse simul moveri & quietescere, necnon duobus modis contrariis, qualis est motus sursum & motus deorsum, & simul moveri: Sed hoc videtur absurdum: Ergo & illud. Sequela Majoris patet, in casu, quo unus Angelus existeret in duobus lapidibus, tanquam in loco adequato, & unus ex illis moveretur, altero remanente immoto: vel in casu quo unus sursum, & alius deorsum moveretur.

Respondeo primo, negando sequelam Majoris: nam ut ait D. Thomas in 1. dist. 37. quest. 4. art. 1. ad 4. Nihil movetur per accidens, motu in quo est, nisi definitur sit in eo, ita quod non in alio; sic anima movetur per accidens, motu toto corpore, & non motu manu tantum. Unde cum in casu proposito Angelus in quolibet illo lapide definitur non esset, ideo nec simul moveretur & quietesceret, nec motibus contrariis per accidens moveretur: sicut anima non simul movetur & quietescit, quodam immoto pede, brachium movetur; nec motibus contrariis per accidens movetur, ex eo quod unus brachium sursum, & aliud deorsum movetur.

Secundo responderi potest, data Majori, negando Minoram: nullum enim est inconveniens, quod eadem res per accidens, & secundum quid, simul moveatur & quietescat, aut duobus modibus contrariis moveatur; ut patet in corpore Christi existente in Eucharia, quod movetur per accidens in una hostia, & in altera quietescit; in una movetur sursum, & in alia deorsum.

Dico tertio: Motus localis Angelis quo per se movetur, consistit in diversis contactibus quantitatis virtutis, quibus sine intermedia quiete tangit successive diversa corpora, siue in diversis operationibus circa diversa loca, absque praedicta quiete.

Est con-

Est contra Recentiores, qui docent prædictum motum Angelum consistere vel in continua acquisitione existentie in alia atque alia parte spatio, vel in variatione modi ubicationis, aut unionis ad corpora, per quem volunt Angelos per se in loco constitui. Est tamen D. Thomæ hic art. 1. ubi ait: *Quia Angelus non est in loco, nisi secundum contractum virtutis; ut dicitur, necesse est quod motus Angelus in loco nihil aliud sit, quam diversus contractus diversorum locorum, successusque non simul.* Et in 1. dist. 37. q. 4. art. 1. ubi hæc scribit: *Dicitur Angelus esse in loco, in quantum applicatur loco per operationem; & quia non simul est in diversis locis, ideo successus talium operationum, per quos in diversis locis esse dicitur, minus ejus vocatur.* Quibus verbis conclusionem nostram & docuit, & probavit: Angelus enim est in loco per operationem virtualiter transiens, quæ contractus virtutis appellatur, ut disputatio precedenti fuisse monstravimus: Ergo movetur loco, quatenus variat operationem circa diversa corpora, eaque sine intermedia quiete successive contingit.

12 Dices: Angelus qui movet primum mobile, manet inmotus localiter, & tamen successive agit in diversas partes illius: Ergo motus localis Angelus non consistit formaliter in successione aut continuatione operationis ipsius in diversis partibus loci corporalis.

Respondedo ad motum localem Angelus, non sufficere, quod operetur successive in diversas partes alicujus corporis, sed requiri necessario quod operetur in diversa loca; illa autem partes primi mobilis, quas Angelus ejus motus successive tangit, non sunt diversa loca, sed unus tantum locus formaliter propter eandem determinatam distantiam ad polos & centrum mundi in qua tanguntur. Ita S. Thomas supra q. 51. art. 3. ad 3. ubi ait: *Angeli moventur per accitens ad motum corporum assumptorum; non autem ad motum corporum celestium, etiam si sint in eis sicut moventur in mobilibus: quia corpora celestia non recedunt de loco secundum seculum. Nec determinatur spiritui moventi orbem loci secundum aliquam determinatam partem substantie orbis, quia motus est in oriente, nunc in occidente, sed secundum determinatum finem: quia semper est in oriente virtus moventis, ut dicitur in 8. Phisicorum.*

13 Dices rursum: Prius, saltem ordine nature, requiritur quod Angelus sit presens tali loco secundum suam substantiam, quam in eo operetur: Ergo motus localis Angelus, quo sit presens diversis locis, non consistit in diversis ejus operationibus circa diversa loca. Consequenter patet, Antecedens probatur: Tum quia approximat, seu presenzia agentis ad passum, est una ex conditionibus necessario prærequisitis ad operandum: Tum etiam quia si Angelus non deberet prius esse presens loco, quam in eo operatur, sequeretur Angelum non habere limitatam sphaeram suæ activitatis ex parte loci; quia nulla erit ratio propter quam Angelus impedietur ad operandum simul in diversis locis, propter majorem aut minorem illorum distantiam.

14 Respondedo negando Antecedens. Ad cujus primam probationem dico hæc esse differentiam inter agentia spiritalia, & corporalia, quod in illis presenzia agentis ad passum est prior, saltem prioritate nature, quam operatio, in illis vero e contra operatio est prior presenzia, prioritate nature. Ratio autem discriminis est, quia agentia corporalia agunt per virtutem in quantitate substantiatam, & ab illa dependentem; unde in illis, sicut operatio præsupponit virtutem operativam, ita & a fortiori quantitatem, subindeque contactum quantitativum, qui est ipsi ratio formalis essendi in loco; & ita nihil mirum fit in illis esse in loco sit prius quam operari. Ceterum operatio agentium spiritalium non supponit in ipsis aliquem contactum, qui sit proxima ratio essendi in loco, sed ipsa operatio virtualiter transiens habet rationem contactus applicativi ad locum; unde illa debet presenziam Angelus in loco prioritate nature antecedere: sicut quia informatio anime habet rationem contactus virtutis respectu corporis, prius natura est, quod anima informet corpus, quam fiat illi presens. Itaque presenzia Angelus in loco, in quo operatur, eo profusus modo requiritur, quo requiritur corpus quod informat anima esse organicum: quia scilicet Angelus per operationem sit presens loco, sicut per informationem anime corpus fit organicum; ut docent Philosophi in libris de anima, explicantes definitionem anime a Philosopho traditam.

Ad secundam probationem Antecedentis, nego sequelam: nam licet Angelus priusquam operatur non debeat esse in loco, in eo tamen est per operationem, quæ cum procedat a virtute Angelus limitat, non potest ad omnia se extendere; subindeque limitata est Angelus sphaera ex parte loci. Unde S. Thomas quæst. precedenti art. 2. ait: *Virtus Angelus, quia finita est, non se extendit ad omnia, sed ad aliquid unum determinatum.*

Dico quarto: Motus localis, quo per accitens movetur Angelus ad motum corporis in quo localiter existit, in nullo alio consistit, quam in motu locali inherente tali corpori.

Probat: Sicut motus nobis movetur omnia que sunt in nobis, ut ait Philosophus; ita motu aliquo corpore, in quo localiter existit Angelus, per accitens ipse Angelus movetur: Ergo sicut motus localis, quo anima motus per accitens movetur ad motum corporis quod informat, in nullo alio consistit, quam in motu locali inherente ipsi corpori, a quo extrinsece & per accitens mota denominatur: ita etiam motus localis, quo Angelus per accitens movetur dicitur, nihil aliud esse potest, quam motus localis inherens ipsi corpori quod per se movetur, & in quo Angelus operatur; a quo etiam secundario & per accitens denominationem motu recipit.

Confirmatur: Motus quo corpus Christi in sacramento Eucharistie movetur ad motum specierum, consistit præcisè in motu locali inherente ejusmodi speciebus: Ergo idem dicendum est de motu illo; quo movetur Angelus ad motum corporis in quo localiter existit: nam ut colligitur ex D. Thomæ 3. p. q. 76. art. 6. ad 1. Christus in Sacramento Eucharistie eodem modo movetur (motu scilicet per accitens) quo movetur Angelus.

Ex his intelliges, Angelum non moveri motu per accitens, ad motum corporis in quo localiter existit, sicut homo qui velitur navi movetur per accitens ad motum ipsius navis. Ratio est, quia (ut docet D. Thomas 3. p. q. 76. art. 6. ad 1.) aliter movetur per accitens, & ad motum alterius: ea que per se possunt esse in loco, sicut corpora; & aliter ea que per se non possunt esse in loco, sicut forme & spirituales substantie, quales sunt Angeli: corpora enim per accitens & ad motum alterius movetur efficienter, ut patet in exemplo adducto hominis, qui velitur navi, quique per accitens ad motum navis efficienter movetur, quatenus navis suo motu eum quasi impellit; seque est causa motus in ipso: At vero Angeli movetur formaliter ipso motu corporis in quo sunt, sicut & forme spirituales; nec enim quando homo movetur, causat in anima aliquem motum localem in ipsa receptum, sed motu ipso recepto in homine ea formaliter movetur dicitur. Quo etiam modo moveri dicitur Christus in Sacramento Eucharistie, ad motum specierum.

Ex dictis etiam habes resolutionem cujusdam difficultatis, que non parum negotii multis facere videtur, nempe in quo subjecto sit intrinsece motus Angelus? Dicendum enim est, motum localem quo Angelus per se movetur, esse inherente in ipso Angelo, si consideretur secundum illud quod dicit in recto; si vero consideretur secundum id quod connotat in obliquo, recipi in loco corporeo cui applicatur: motum vero quo per accitens movetur dicitur, esse solum inherente in eo corpore, ratione cujus movetur.

Prima pars hujus resolutionis sequitur ex principiis supra statuis. Nam supra ostendimus, motum localem Angelus, quo per se movetur, consistere in diversis ejus operationibus circa diversa loca: Sed illa operationes, cum sint formaliter immanentes, intrinsece in ipso Angelo recipiuntur; cum autem sint virtualiter transientes, inferunt passionem & effectum corporeum, in loco cui Angelus applicatur productum: Ergo motus localis Angelus importat aliquid partim ejus intrinsecum, & partim extrinsecum; & est inherente in ipso Angelo, secundum illud quod dicit in recto, recipitur vero in loco corporeo, secundum id quod in obliquo importat. Unde saltem existimo Cajetani sententiam, asserentis motum localem Angelus esse in loco, simpliciter loquendo, non vero in Angelo: in illo enim subjecto motus esse debet: cui sum effectum formalem communicat. Sed motus localis communicat Angelo, non vero loco, sum effectum formalem.

Alteram vero partem hujus resolutionis manifesta est: cum enim motus, quo per accitens movetur Angelus movetur, nihil aliud sit, quam motus localis ipsius corporis, in quo Angelus localiter existit, prout extrinsece & secundario Angelum denominat motum, ut supra ostendimus, evidens est motum quo Angelus movetur per accitens, esse solum inherente in eo corpore quod movetur, non vero in ipso Angelo. Sicut motus quo per accitens Christus movetur in Eucharistia, ratione specierum, non in ipso Christi corpore, sed in speciebus subjectatur; forma enim que extrinsece tantum & secundario aliquid subiectum denominat, non debet in illo recipi sicut illa que effectum formalem prænumerat, & intrinsecum denominationem ei tribuit. Itaque licet motus quo Angelus per se movetur, illi inheret, saltem secundum id quod importat in recto, ut antea exposuimus, non tamen ille quo extrinsece tantum & per accitens moveri dicitur.

ARTICULUS II.

Utrum Angelus motu tam continuo quam discreto moveri possit?

Duplex distingui, vel concipi potest motus localis: continuus, & alter discretus. Motus localis continuus, juxta D. Thomæ hic art. 1. dicitur ille in quo mobile per partes deserit terminum a quo, & per partes acquirit terminum ad quem: discretus vero, in quo e contra mobile deserit totum simul terminum a quo, & acquirit totum simul terminum ad quem. Inquirimus ergo, utrum Angelus hoc duplici motu localiter moveri possit?

§. I.

Prima pars quæstio resolvitur.

Loco primo: Angelus motu continuo moveri potest. Ita committit docent Theologi cum S. Doct. hic art. 1. contra Gregor. in 2. dist. quæst. 6. & Valesum in lib. de fac. Philosophia cap. 41. ac Herveum in 1. dist. 37. quæst. 2. art. 3.

15 Probat: Illud mobile movetur motu continuo, quod locum aliquem divisibilem successive & divisibiliter acquirit: Atqui Angelus dum movetur, locum aliquem divisibilem successive & divisibiliter potest acquirere: Ergo & motu continuo moveri. Major est certa: Per hoc si quidem præcisè motus localis continuus differt a motu discreto, quod per continuum acquiritur successive & divisibiliter, sive per partes terminus ad quem; per discretum vero totum simul acquiritur. Minor vero probatur: Locum successive & divisibiliter acquirere, quantum sufficit ad continuandum motum, nihil aliud est quam mobile, sine interruptione sui motus, prius ad propinquiores partes spatii pervenire, quam ad remotiores: Sed hoc præstare potest Angelus; cum enim locus ejus adequatus sit divisibilis, dum unam partem illius occupat, potest paulatim operationem suam extendere ad reliquas partes illius, sine intermedia quiete: Ergo Angelus dum movetur, locum aliquem divisibilem, successive & divisibiliter potest acquirere.

23 Confirmatur primo: Ideo corpus dicitur moveri localiter motu continuo; quia ejus locus est divisibilis, & illud deserit paulatim & per partes, sine intermedia quiete, & eodem modo acquirit alium; ita ut quantum deserit per partes de loco habito, tantum acquirit de novo illo cui sit presens: Atqui similiter locus Angelus, saltem adequatus, est divisibilis, potestque sine intermedia quiete deserere per partes unum ex locis sibi inadequateis, & eodem modo acquirere alium; ita ut quantum deserit per partes de illo in quo erit, tantum acquirit de alio novo in quo se constituit: Ergo potest moveri localiter motu continuo.

Confirmatur amplius: Omnes conditiones ad rationem motus continui necessarias, reperiri possunt in motu Angelus: Ergo potest motu continuo moveri. Consequentia manifesta est: Antecedens vero ex dicendis §. seq. patebit.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objicies ergo primo: Ad continuitatem motus tres factem requiruntur conditiones, nempe divisibilitas spatii, a qua divisibilitas motus dependet: unitas seu continuatio temporis (quando enim intercedit mora & quies, non est amplius unus motus) & divisibilitas mobilis, ut docet Philosophus 6. Phisic. cap. 4. & 10. ex quo ibidem inferunt panctum non posse moveri motu continuo: Sed hæc conditiones non videntur posse convenire motui locali Angelorum, præcipue ultima: Ergo non movetur motu continuo. Minor probatur: In primis enim Angelus cum sit indivisibilis, & inextensus, non potest se collocare in spatio extenso & divisibili: item ejus operationes non mensurantur tempore continuo, sed discreto; ejusque substantia, cum sit immaterialis & omnino indivisibilis: Ergo conditiones ad continuandum motum requisitæ, non videntur posse convenire motui Angelico.

24 Respondedo concessa Majori, negando Minorem: nam tres illæ conditiones convenire possunt motui Angelico, licet non ita proprie, nec cum illo rigore, cum quo in motu locali corporum reperiuntur. Cum enim Angelorum motus comparatur motui locali corporum, sit æquivoce tantum motus, ut supra ostendimus, etiam ejus continuus, comparata motui corporum, debet tantum esse æquivoce talis, seu habere aliquam proportionem, similitudinem, & analogiam cum continuitate motus corporis. Prima ergo conditio motui Angelorum convenit; quia licet Angelus sit indivisibilis & inextensus, potest tamen in loco divisibili & extenso se collocare, ut disp. precedenti art. 1. §. 8. coroll. 2. ostendimus: cum enim non sit

indivisibilis ratione limitationis & imperfectionis; sicut punctum, quod ad perfectionem indivisibilitatis non potest pertinere, sed ratione perfectionis elevatus supra materiam & divisibilitatem, ut ibidem declaravimus; non limitatur ad hoc, ut sit in indivisibili, sed potest virtualiter coexistendi loco formaliter divisibili, illique virtutem suam operativam applicare. Unde secunda conditio ad continuitatem motus requisita, scilicet unitas, aut continuatio temporis motui Angelico non deest: quia licet operationes, quibus Angelus deserit simul locum, qui est terminus a quo, & simul, id est non per partes, acquirit terminum ad quem, mensurentur tempore discreto, ut infra patebit; illa tamen operatio, seu ille operationes, quibus per partes acquirit unum locum, & relinquit alium, debent mensurari tempore continuo.

Quantum ad tertiam conditionem, de qua major videtur esse difficultas, similiter dicendum est, illam motui Angelico convenire: quia licet Angelus entitative, & quantum ad substantiam non sit divisibilis, ut locatus tamen, extensus ac divisibilis est, utpote in spatio extenso ac divisibili existens. Sive, ut alii dicunt, quamvis non sit divisibilis formaliter, est tamen divisibilis virtualiter, vel æquivalenter, quia ratio formalis, per quam locatur, ejus scilicet operatio, quatenus est virtualiter transiens, divisibilis est, utpote inferens & causans effectum divisibilem, & extensum in loco corporeo.

Dices: Quod movetur localiter motu continuo, partem est in termino a quo, & partim in termino ad quem: Ergo debet habere partes, & per consequens esse divisibile formaliter.

Respondedo illud quod movetur localiter motu continuo, debere quidem esse partim in termino a quo, & partim in termino ad quem, partialitatem tamen illam non esse necessario referendam ad substantiam ipsius mobilis, sed sufficere quod referatur ad locum; sufficit enim quod virtus ejus partim uni, & partim alteri loco applicetur, ut docet Sanctus Thomas hic art. 1. ad 1. & art. 3. ad 3. ubi ait: *Angelus est partim in uno loco continuorum, & partim in alio; non quod substantia illius sit partibilis, sed quia virtus sua applicatur ad partem primi loci & ad partem secundi.*

26 Objicies secundo: Motus Angelus consistit in diversis contactibus & operationibus illius circa diversa loca, ut articulo precedenti ostendimus: Sed illi diversi contactus & operationes non possunt unum motum continuum efficere: Ergo motus Angelus non potest esse continuus. Minor probatur: Operationes illæ interdum sunt speciei diversæ: Sed que speciei differunt, continuari non possunt, licet possint esse contigua: Ergo ille unum motum continuum efficere nequeunt. Minor videtur certa: Major vero probatur: Angelus descendens, v. g. a celo in terram, potest causare in celo motum, in aere lucem, aut in una parte aeris motum localem rectum & in alia circularem. Sed illi motus, aut operationes speciei differentis, ut patet: Ergo operationes, ex quibus motus localis Angelus constat, interdum sunt speciei diversæ.

Respondedo illas operationes esse quidem interdum speciei diversæ materialiter & entitative, formaliter tamen, & prout sunt ratio essendi in loco, sive quatenus sunt locativa, & applicativa ad locum, esse eadem rationis, ac prout possint esse unum unitate continuitatis motum efficere. Sicut disputatio precedenti dicebamus, locum formaliter non variari per mutationem, aut diversitatem specificam superficiæ ambientium, dummodo eadem distantia ad polos & centrum mundi servetur: quia diversitas illa mere per accitens & materialiter se habet: cum unitas formalis loci ex determinata distantia ad polos & centrum mundi sumatur.

Objicies tertio, auctoritatem D. Thomæ ex 1. sent. 88 dist. 37. quæst. 4. art. 1. ubi concludit motum Angelus non esse continuum, quod etiam formaliter docet quodlib. 9. artic. 9.

Respondedo primo, D. Thomam solum velle motum Angelus non esse continuum necessario, sicut in rebus corporeis, sed posse esse discretum, ut dicemus §. sequenti.

Secundo responderi potest, D. Thomam negare solum motui locali Angelorum continuitatem formalem & propriè dictam, qualis reperitur in motu locali corporum, non tamen virtualem, & que sit tantum æquivoce talis, qualis solum motui Angelico convenit, ut supra annotavimus.

Tertio dici potest, S. Doctorem loqui de motu Angelorum, secundum quod dicit operationes Angelus, ut sunt formaliter immanentes, & quatenus se tenent ex parte ipsius; sub qua ratione non mensurantur tempore continuo, sed discreto, non vero loqui de motu Angelorum, ut importat easdem operationes, quatenus sunt virtualiter transientes, & habent terminum ad extra productum; sic enim habent continuitatem, quatenus contingunt diversa loca successive, & sine quiete intermedia, & tempore continuo mensurantur.

§. III.

Altera difficultas resolvatur.

- Dico secundo . Angeli posse moveri localiter motu discreto . Et contra Scotum , Molinam , & quosdam alios . Est tamen D. Thom. hic art. 2 . & pluribus aliis locis .
- 29 Probatur : Deserere per ultimum esse totum aliquem locum , & immediate post per primum esse acquirere alium totum simal , & non per partes , est moveri motu discreto : Sed hoc potest prestare Angelus : Ergo motu discreto moveri potest . Major constat ex dictis initio hujus articuli : per hoc siquidem differt motus discretus a continuo , quod in motu continuo , mobile per partes deserit terminum a quo , & per partes acquirit terminum ad quem ; in motu autem discreto e contra mobile deserit totum simul terminum a quo , & immediate post , totum simul terminum ad quem acquirit . Minor vero probatur : Angelus est indivisibilis , subindeque non commensuratur loco in quo existit : Ergo potest per ultimum esse suae operationis deserere totum aliquem locum , & immediate post , per primum esse alterius operationis in totum alium locum , illum totum simul acquirere . Probatur consequentia primo : quia hoc ipso quod Angelus non commensuratur loco , non debet esse in illo secundum exigentiam eius , subindeque nec moveri continue & per partes in loco illo , licet fit continuus . Secundo probatur eadem consequentia : Ex sola mobilis extensione provenit , quod non possit acquirere totum simul terminum ad quem : Sed Angelus hoc ipso quod est indivisibilis , caret extensione : Ergo , &c . Probatur tertio : Anima rationalis , eo ipso quod est indivisibilis , in momento actuat totum corpus civile , & in instanti totum simul ipsum deserit : quidni igitur poterit Angelus locum alium totum simul & semel deserere , & alium immediate post similiter totum simul acquirere .
- 30 Constat : Ideo corpus non potest moveri motu discreto , sed continuo tantum , quia cum sit extensum , subindeque habeat partes correspondentes partibus loci , non potest simul totum aliquem locum deserere , sed necesse est quod ultima pars sui , prius egrediatur ab ultima parte loci in quo est , & ingrediatur alium locum , quam prima pars : Sed Angelus caret extensione : Ergo motu discreto moveri potest .

§. IV.

Respondetur argumentis in contrarium.

- Obijcies primo : De ratione motus etiam discreti est quod sit unus : Atqui motus quo Angelus ita se habet , quod per ultimum esse suae operationis deserat totum simul terminum a quo , & immediate post per primum esse alterius operationis , acquirat totum simul terminum ad quem , non est unus , sed aggregatus ex pluribus instantaneis mutationibus : Ergo non est motus discretus . Major est certa , probatur Minor : Motus interruptus quiete , non est unus : Sed ille motus Angeli est interruptus aliqua quiete : Ergo non est unus . Minor probatur : Angelus non acquirit terminum ad quem in instanti immediate sequenti , alius , cum ex suppositione deserat totum terminum a quo in instanti , duo instantia sibi immediate succederent : Ergo in tempore medio inter illa duo instantia intercedit aliqua quiete .
- 32 Respondeo , concessa Majori negando Minorem . Ad eujus probationem , nego similitudinem Minorem ; & ad eujus probationem , nego quod Angelus non acquirat totum terminum ad quem in instanti . Ad probationem vero in contrarium dico , quod licet in tempore nostro duo instantia non possint sibi immediate succedere , bene tamen in tempore discreto & angelico , quo motus discretus & operationis libera Angeli mensurantur : nam tempus illud nihil est , quam invisibilium duracionum sive instantium numerus , ut infra patebit .
- 33 Obijcies secundo , Angelus non movetur motu discreto , dum est in termino a quo ; nam in termino a quo mobile nondum movetur , sed adhuc quiescit : neque quando pervenit ad terminum ad quem : quia quando mobile est in termino ad quem , iam est motum , & non movetur amplius : neque ut est partim in termino a quo , & partim in termino ad quem : nam ut docet S. Thomas hic art. 1 . ad 1 . tunc solum partim est Angelus in termino a quo , & partim in termino ad quem , quando movetur motu continuo : Ergo Angelus nunquam movetur motu discreto , sed solum motu continuo .
- 34 Respondeo Angelum in neutro termino precise & absolute sumpto moveri motu discreto , sed in utroque , prout unus dicitur habitudinem ad alium : successio enim & habitudo unius termini ad alium , habet rationem alicujus medii . Ita S. Thom. hic in resp. ad 1 . ubi ait : Si motus non esset continuus , posset dici quod aliquid movetur dum est in termino a quo , & dum est in termino ad quem : quia ipsa

Successio diversorum ubi circa eandem rem , motus discretus . Et in 1 . dist. 37 . q. 4 . art. 1 . ad 3 . Et ideo , inquit , loquens de motu discreto Angeli , nec in A , nec in B movetur , licet A & B sint partes ejus : sed successio horum quod est esse in A & esse in B motus ejus vocatur .

Pro majori luce hujus solutionis & doctrinae , observandum est cum Cajetano hic art. 1 . § . in responsione ad primum , existentiam in termino a quo posse videri dupliciter , nempe aut secundum se & absolute , aut ut dicit ordinem eujusdem potentialitatis ad existentiam in termino ad quem sibi immediate succedenti . Si sumatur primo modo , verum est Angelum , dum est in termino a quo , non moveri : si autem sumatur secundo modo , falsum est : quia secundum hanc rationem est terminus successiones discretas , in qua consistit motus discretus ; & hoc satis est ut existentia sic sumpta dicatur inchoative successio & motus . Similiter existentia in termino ad quem , potest dupliciter sumi , scilicet absolute , vel ut dicit ordinem actus & terminantis potentialitatis , quam importat existentia in termino a quo . Primo modo sumpta non dicitur motus , sumpta tamen secundo modo , dicitur motus terminative . Ratio vero est quoniam qualibet ex his existentis , ut dicit ordinem ad alterum , potest dici motus discretus , sumitur ex propria natura hujus motus : nam motus discretus , nihil est aliud quam numerus diversarum operationum ; ratione quarum Angelus est successivus in diversis locis : unde sicut numerum componunt unitates , non quidem absolute considerate , sed una in habitudine ad aliam , fit etiam motus discretus componunt operationes diversae , non absolute sumpta , sed prout una dicit ordinem ad aliam .

ARTICULUS III.

Utrum Angelus possit transire de uno loco ad alium , non transiendo per medium ?

- Postquam Doctor Sanctus art. 1 . hujus questionis docuit Angelum motu continuo & discreto posse moveri , artic. sequ. quaerit utrum Angelus transiret per medium ? & duas statuit conclusiones . In prima docet , quod si motus Angeli sit continuus , non potest moveri de uno extremo in alterum , nisi transiret per medium : Quia , ut dicitur in 6 . Physic . medium est in quod prius venit quod continue movetur , quam in quod movetur ultimum . Ordo enim prioris & posterioris in motu continuo , est secundum ordinem prioris & posterioris in magnitudine , ut dicitur in 4 . Physic . In altera vero conclusione asserit , quod si motus Angeli non sit continuus , possibile est quod pertransiret de aliquo extremo in aliud , non pertransitendo medio : Tum quia si Angelus suo motu discreto omnia loca intermedia pertransiret , actu numeraret actus infinita , quod est impossibile : inter quilibet enim duo extrema loca , sunt infinita loca media , five acceptiva loca divisibilia , five indivisibilia : Tum etiam , quia substantia Angeli non est subdita loco , ut contenta , sed est superior illi , ut continens , unde in potestate ejus est applicare se loco , prout vult , vel per medium , vel sine medio . Idem docet in 1 . dist. 37 . q. 4 . art. 2 . & ibidem ad Ambrosium . q. 2 . art. 1 . ad 4 . & quodlib. 1 . art. 5 .

Hanc Angelici Praeceptoris doctrinam non sequuntur , 37 nec apud Scotum , Suarez , Molina , Valentia & alii ex Recentioribus , quibus non adhaeret Vasquez ; immo potius severe in eos animadvertit , dicens hic disputatione 196 . cap. 3 . Recentiores illos de rebus spiritualibus fore in emibis instar rerum corporalium philosophari ; illique necessarium esse sensibilia relinquere , & altiorum modum spiritualia contemplandi investigare . Pro resolutione hujus celeberris questionis

Supponendum est , quod sicut Philosophi distinguunt duo genera partium in quantitate continua , scilicet communicantium , seu proportionalium , & non communicantium , seu aliquotiarum ; ita etiam medium quod Angelus omittit potest , transiendo de uno extremo ad aliud , potest esse duplex , communicans scilicet , & non communicans : verbi gratia , si Angelus existens in primo palmo unius corporis tripalmaris , velit transire ad tertium palmum , medium non communicans erit secundus palmus , qui ut distinctus ab aliis duobus habet suam magnitudinem , nec de extremis aliquid participat , & medium vero communicans erit si sumatur aliquid de primo palmo , & aliquid de secundo , vel aliquid de secundo , & aliquid de tertio . Porro ista media communicantia de extremis sunt infinita in potentia : nam post aliquam partem indeterminatem primi palmi , potest a quolibet puncto mensurari aliquis palmus , qui aliquid participet de primo , & aliquid de secundo ; & eadem puncta , partesque proportionales sint infinitae in potentia , media etiam participantia erunt in potentia infinita . Hoc supposito , sit

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

- Dico igitur , Angelum posse moveri motu discreto , absque eo quod transiret per medium : sive illud sit communicans , sive non communicans cum partibus intermediis .
- Probatur primo conclusio ratione fundamentali , quam D. Thom. infra locis citatis . Angelus est in loco per operationem , sive applicationem liberam suae virtutis ad locum : Ergo potest moveri motu discreto de uno loco ad alterum extremum , sine transitu per medium . Probatur consequentia ; qui sicut est eo quod Angelus sit in loco per applicationem liberam suae virtutis ad locum , liberum illi est applicare toti loco sibi adeoquae suam virtutem , vel solum parti inadaequate ; ita propter eandem rationem potest libere applicare eandem virtutem partibus extremis alicujus spatii , non applicando eam ; sive non operando in intermediis : in quo casu constat quod movebitur de extremo ad extremum , sine transitu per medium . Ita discit D. Thomas loco citato ex primo sententiarum , ubi sic ait : *Essentia Angeli secundum se absoluta est ab omni loco , & non definitur ad locum , nisi per operationem : non autem operationem secundum quod exierit ab essentia , sed secundum quod terminatur ad operationem in loco . Unde quando operatur circa hunc locum , ab essentia sua cum non sit ex se determinata vel obligata ad locum illum , sed indifferenter se habens ad omnia in quantum in se est potest egredi operatio statim ad locum proximum vel remotum , nec operatio ad disantem dependet ab operatione ad proximum .*
- 40 Confirmatur primo : Ideo corpus non potest moveri de extrema parte alicujus , ad aliam partem extremam , sine transitu per medium , quia cum sit in loco per commutationem ad ipsum , & tanquam illi subditum , ex eo quod contineatur ab illo , debet sequi in suo motu leges ipsius : Atqui Angelus non ita existit in loco , sed ut continens , & superior illi , atque ideo ab eo independens : Ergo de uno extremo ad aliud potest moveri , non transiendo per medium : Ita dicit S. Doctor quodlibet 1 . art. 3 . dicens : *Quia corpus est in loco sicut contentum ab eo , ideo oportet quod in movendo sequatur loci conditionem , ut scilicet pertranseat media , priusquam ad extrema loci perveniat . Sed cum Angelus sit in loco per contrarium virtutis , non subditur loco ut contentus ab eo , sed magis continet locum , sua virtute supereminens in loco : unde non habet necesse ut sequatur in suo motu conditiones loci , sed voluntatis suae subest quod applicet se per contrarium virtutis hunc loco & illi , & se vult absque medio . Sicut etiam intellectus potest applicari intelligendo unum extremum , pura alio , & postea nigro indifferenter , vel cogitando vel non cogitando de mediis coloribus : quoniam corpus subiectum coloris non potest moveri de alio in nigrum , nisi per media .*
- 41 Confirmatur secundo : Ideo corpus Christi potest desinere esse in media parte hostiae consecratae , remanendo in extremis partibus , quia est ibi modo elevato , quamvis supernaturali : Sed Angelus existit in loco , modo essendi elevato , quamvis naturali : Ergo potest existere in partibus extremis alicujus spatii , non existendo in intermediis , subindeque moveri discrete de una ad aliam , non transiendo per medium .
- 42 Probatur secundo conclusio , & specialiter ostenditur Angelum posse transire de extremo ad extremum non pertransito medio communicante cum partibus intermediis , discursu quem habet D. Thom. hic art. 2 . Inter quilibet duo loca extrema : mediant infinita loca communicantia , tum indivisibilia , tum divisibilia : Sed non potest Angelus transire discrete per omnia illa : Ergo oportet necessario , quod in suo motu locali discreto , relinquat aliqua ex praedictis locis intermediis impertransita ; ac proinde poterit transire de extremo ad extremum , non pertransito medio communicante . Major constat ex suppositione ante conclusionem facta , & fuse ostendimus a D. Thom. loco citato . Minor vero probatur : Infinitum non potest pertransiri dinumerando ; alioquin etiam dinumerando ad ultimum ejus unitatem deveniretur , & ita non esset quid infinitum , sed finitum : At si Angelus discrete per omnia illa media pertransiret , ea omnia , subindeque infinita dinumeraret : Ergo ea discrete pertransire non potest .
- 43 Dices : Angelus motu continuo pertransit omnia media communicantia , tam indivisibilia , quam indivisibilia ; & tamen propterea non dicitur infinitum dinumerare : Ergo idem dicendum est de motu discreto ejusdem Angeli . Sed negatur consequentia , & paritas : ratio disparitatis est , quia ut recte dicitur Vassi . hic in explicacione secundi articuli . in motu continuo , etiam si mobile infinita loca pertransiret , ea non numerat : utpote cum numerus in discretione consistat , & numerari nihil possit , nisi discrete .
- 44 Probatur ultimo conclusio specialiter de medio nullo modo communicante . Primo quia non videtur major ratio ,

cur Angelus in suo motu discreto ab uno extremo loci ad aliud extremum , possit media communicantia impertransita relinquere , quam media non communicantia : Sed potest primum , ut iam ostensum est , & concedunt Scotus & Suarez : Ergo & secundo . Major probatur : Tota ratio quam afferunt Adversarii , cur Angelus in suo motu discreto de extremo ad extremum non possit aliquid medium non communicans impertransitum relinquere , est quia , inquit , ordo naturae exigit quod mobile prius per partes viciniores transeat , quam attingat remotiores : Sed haec ratio vel nullam habet vim in motu Angelico , praeter independentiam Angeli a loco ; vel aequaliter procedit de mediis participantibus , quam viciniora sunt quam partes remotae , ac de mediis non communicantibus : Ergo &c .

Secundo , Dum Angelus existens in caelo , in terram descendit motu discreto , non potest omnia media non communicantia pertransire , nam juxta Adversarios motum suum discretum unico instanti perficit : Sed inacceptabile est , Angelum uno instanti e caelo in terram descendere , & omnia media pertransire ; alioquin eodem momento esset in pluribus locis sibi adeoquatis , vel saltem in loco majori quam sit maximus quem habere potest : Ergo plura media , etiam non participantia , in suo transitu praetermittere debet .

§. II.

Solvuntur obijctiones.

Obijcies primo auctoritatem D. Thomae hic art. 2 . ubi 45 secundo loco sibi obijcit : Anima potest sua cognitione transire de uno extremo ad aliud , non transiendo per medium : Ergo Angelus poterit eodem modo moveri . Respondet autem negando paritatem : Quia Angelus , inquit , dum movetur localiter , applicat ejus essentia diversis locis : anima autem essentia non applicatur rebus quas cogitat , sed potius res cogitatas sunt in ipsa : Ergo ex Divo Thoma Angelus nequit transire de uno extremo ad aliud , relicto medio .

Respondeo , D. Thomam in argumento quod sibi obijcit , 46 velle probare , quod Angelus possit motu continuo transire de uno extremo ad aliud , relicto medio , exemplo animae rationalis , quae per cognitionem etiam continuum potest cogitare de locis extremis , non cogitando de mediis , & quantum ad hoc recte respondet esse differentiam inter cognitionem & motum , quod cognitatio , est continua , non applicat substantiam ipsis rebus , sed trahit res ad se ; potest autem cogitatio continua trahere ad se res non continuas ; per motum vero continuum non potest applicare spatium non continuus suam substantiam : quia hoc est contra rationem continuitatis ex parte motus .

Obijcient secundo Adversarii : Anima rationalis non potest informare partes extremas corporis , non informando intermediis : Ergo neque Angelus moveri de uno extremo ad aliud , non transiendo per medium . Probatur consequentia : quia sicut anima se habet in informando , ita Angelus in agendo & movendo .

Respondeo concessa Antecedente , negando Consequentiam & paritatem . Ratio disparitatis est , quia anima unitur corpori , ut forma materiae , ac proinde omnino necessario , & dependenter a dispositionibus ad talem unionem requisitis , inter quas praecipua est colligatio & continuatio partium corporis : Angelus vero unitur loco , ut agens passivo , vel ut motor mobili , subindeque libere , & independentem a quacumque corporis dispositione , & per consequens independentem a partibus intermediis loci , potest se applicare ad extrema , & in illis operari .

Obijcit tertio : Angelus non potest praetermittere , vel invertere ordinem partibus hujus universi praefixum : Sed ordo partibus hujus universi praefixus , est ordo situalis , consistens in eo quod nulla creatura possit rem ulteriores sine priori attingere : Ergo Angelus non potest extrema alicujus spatii , non tactis locis intermediis , contingere .

Huic argumento facile respondetur , concessa Majori , 50 negando Minorem : nam ut optime ait Cajetanus , ordo situalis praefixus a Deo partibus universi materialibus , consistit in eo quod ignis sit sursum , terra deorsum , aer & aqua inter utrunque medient &c . unde hunc ordinem non potest Angelus invertere , faciendo quod unum elementum locum alterius occupet , vel quod gravia sursum , & levia deorsum tendant , vel inducendo vacuum in rerum natura , ac destruyendo mirabilem illam unionem & colligationem partium universi , in qua ejus perfectio & pulchritudo consistit : non enim Deus Angelis orbem terrae subiecit , ait Apostolus ad Hebraeos 2 . Quoad coexistentiam vero & praesentiam Angeli ad partes universi , non est postius hic ordo a Deo , ut prius tangat partes intermediis quam extremas ; immo potius , ratione suae immaterialitatis & spiritualitatis , a tali obligatione quam habent corpora , liber est . Unde secundo responderi poterit distinguendo Minorem : Ordo partibus hujus universi praefixus , consistit

ARTICULUS IV.

Utrum motus Angeli, tam continuus, quam discretus, in instanti, per correspondentiam ad nostrum tempus, fieri possit?

In eo quod nulla creatura possit rem ulteriorem sine priori contingere. Nulla creatura corporalis, & contenta a loco, legibus loci subiecta, concedo Minorem. Nulla creatura spiritalis, & concinnis locum, atque independentens ab illo, nego Minorem, & Consequentiam.

51 Dices, Angelus est subditus legibus temporis quantum ad hoc quod non possit transire de preterito ad futurum, absque eo quod transiret per presens. Ergo pariter subditus erit legibus loci, quoad hoc quod non possit transire de uno extremo alicujus spatii ad aliud, nisi per medium; non enim minus est ordo inter partes permanentes spatii, quam inter partes successivas temporis.

52 Sed negatur consequentia & paritas: Ratio discriminis est, quia Angelus non potest ratione suae durationis tangere partes futuras temporis, antequam existant; hoc enim est proprium aeternitatis, ut alias in Tractatu de scientia Dei disp. 4. art. 7. ostensum est: partes autem extremae spatii, quia de facto existunt, cum sint permanentes, potest Angelus tangere, non tangendo intermedias.

53 Obijciunt quarto: Sequitur ex nostra opinione, corpus, v. g. lapidem, posse moveri de extremo ad extremum, absque eo quod transiret medium; si nimirum Angelus illud deserat, in suo motu discreto de extremo ad extremum, absque transitu per medium. Sequitur etiam Angelum posse extendere suam operationem ultra sphaeram suae activitatis, saltem in casu quo distantia locorum, inter quae esset motus discretus Angeli, superaret latitudinem sphaerae activitatis illius.

54 Respondeo negando utramque sequelam: primam quidem, quia Angelus deserens corpus aliquid, non potest moveri motu discreto; non potest enim tollere a corpore, quin sit nisi loco, per commensurationem & contactum quantitativum, & consequenter quin moveatur per commensurationem suarum partium ad partes loci: unde hoc ipso quod Angelus vult se movere portando aliquid corpus, necesse est ut motus ejus sit continuus. Alteram vero sequelam nego, quia ut Angelus operaretur ultra sphaeram suae activitatis, deberet manendo in loco in quo est, & consequenter operando circa illum, operari in alio, ad quancumque distantiam; quod nostra sententia non ponit: quia si Angelus movetur, oportet quod relinquat terminum a quo, dum alibi incipit operari, ut alium locum acquirat.

55 Obijciunt quinto: In quolibet motu debet dari aliquid moveri, ante mutatum esse: Ergo debet dari aliquid medium inter terminum a quo & terminum ad quem. Consequenter probatur: quia dum mobile est in termino a quo, nondum movetur, dum vero est in termino ad quem, est in mutato esse.

56 Respondeo cum D. Thoma hic art. 2. ad 3. quod in motu discreto, in quo mutatum esse est pars motus, non debet dari moveri ante mutatum esse; sed solum in motu continuo, in quo mutatum esse non est pars, sed terminus: de quo infra redibit sermo.

57 Denique obijciunt Molina, quod transitus ille Thomistarum, scilicet ut menti facte offert, iudicari impossibilem: unde, inquit, non tamen pertinet ad nos illum impugnare, quam ad illos eum probare.

Verum respondeo quod transitus ille (non Thomistarum, sed Angelorum) iudicari quidem impossibilem ab his qui sequuntur dictum imaginacionis, quae continuum non transcendent, ut ait S. Thomas in 1. dilt. 37. q. 3. art. 2. non tamen ab illis qui sensibilia reliquentes, de rebus spiritalibus longe aliter ac de corporeis philosophantur. Unde ut supra recitimus, Vasquez prudenter Recentiores illos admonet, ut corporalia & sensibilia relinquunt, & altiores modum spiritualia contemplandi investigent.

Adde, transitum illum; licet a sensibus remotissimum, non debere tamen iudicari impossibilem, cum etiam corpus Christi, quod modo quodam spiritali adest in Eucharistia, per divinam potentiam in caelo simul, & in variis terrae locis praesens quotidie fiat, sine ullo medi transitu. Quo respexisse videtur Sponsa, dum Cantic. 2. ait: *Ecco venit in facili in montibus, transiens colles, similis caprea, bimulque cervorum.* Saltem in montibus, qui supra caeli altitudinem ascendit; transiit colles; qui in instanti, sine transitu per medium, sit praesens corporaliter in terra; & in pluribus altioribus simul adest, absque eo quod corporibus intermediis assistat. Cur ergo iudicabitur repugnans, quod Angelus ex sua spiritalitate connaturaliter habeat non dependere a transitu per medium, quod corpus potest habere supernaturaliter, si quidem spiritus naturaliter non dependet a commensuratione corporis, sicut dependet corpus: Ergo quod corpus supernaturaliter accipit, potest Angelus connaturaliter habere.

Adde etiam, quod si anima rationalis possit de suo corpore migrare in aliud, immediate informaret illud, etiam si esset distans, non informando prius corpora intermedia: quidni ergo similiter poterit Angelus uniri corpori distanti, non informative, sed active, absque eo quod uniat se corpori intermedio? Nam sicut anima se habet in informando, ita Angelus in agendo & movendo.

Pro resolutione hujus difficultatis quam movet Div. Thomas hic art. 3. notandum est, quod cum moveri localiter, nihil aliud sit quam acquirere de novo aliquem locum, duplicem possimus distinguere motum localem, juxta duplicem modum, quod aliqui potest fieri de novo praesens alicui loco; unam improprium, quid dicitur simpliciter mutatio, quando scilicet taliter acquiritur locus de novo, quod non relinquatur alius locus positus, sed proceditur a simplici negatione; alium proprium & stricte sumptum, qui est transitus de uno loco positivo ad alium, constans duplici mutatione, una quae desinit unum locum, & alia qua alter acquiritur: cum tamen in priori, non interveniat nisi una mutatio, qua acquiritur locus de novo. Proposita difficultas non procedit de simplici mutatione, quae non fit vere & proprie motus: nam certum est illam posse fieri in instanti tam Angelico quam nostro, puta si Angelus de novo crearetur in aliquo loco, vel si supponamus Angelum, nullibi existentem, ut operantem, incipere in instanti operari in aliquo loco. Solum ergo quae est, an motus localis Angeli proprie dictus, & constans exposita derelictione unius loci, & acquisitione alterius, possit fieri in instanti, per correspondentiam ad nostrum tempus, five unica operatione Angeli, qua unitantum instanti nostri temporis coexistat?

Affirmant Scotus, Molina, & alii Recentiores: negant Thomista cum preceptorum Angelico hic art. 3. quibus subscribit Vasquez disp. 197. licet rationem D. Thomae non approbet.

S. I.

Pars negativa defenditur.

Dico igitur: Motus Angeli, five continuus, five discretus, unico instanti fieri nequit. Ita S. Thom. hic art. 3. in calore corporis articuli dicens: *Unde relinquatur quod motus Angeli fit in tempore: in continuo quidem tempore, si sit motus ejus continuus; in non continuo autem, si motus sit non continuus. Idem docet in 1. dilt. 37. q. 4. art. 3. & quodlibet 11. art. 4.*

Probatur primo conclusio, specialiter de motu continuo, ratione a priori. Nullum successivum fieri potest in instanti: Sed motus continuus Angeli successivus est: Ergo in instanti fieri nequit. Major est evidens; nam fieri successivus, est fieri paulatim, & partem post partem: fieri vero in instanti, est fieri totum simul. Minor vero probatur primo. Continuum dividitur ab Aristotele in permanentes & successivum: Sed motus continuus Angeli, non est quid permanentes, ut patet: Ergo successivus est. Secundo, ubi est intrinseca prius & posterior: Ergo & intrinseca successio. Minor probatur: In spatio ut pertransibilibi motu continuo, est ordo prioris & posterioris: Ergo & in ipso motu. Haec Consequenter patet: alius enim motus adequaretur spatio, & non adequaretur quidem, quia, ut supponimus, illi corresponderet, & ex eo esset continuus: non adequaretur vero, quia non haberet ordinem prioris & posterioris, sicut spatium. Ad quod, cum spatium sit permanentes, in eo non est ordo ille prioris & posterioris, nisi secundum denominationem extrinsecam a motu in ipsum redundantem: in tantum enim in aliquo spatio permanenti intelliguntur partes prioris & posteriores, in quantum secundum aliquid sui est prius motu pertransibilibi, & posterioris secundum aliud.

Probatur secundo conclusio, & magis adhuc ostenditur motum continuum Angeli non posse fieri in instanti, ratione quam articulo precedenti insinuavimus. Angelus motu continuo transiens ex uno loco in alium, tangit omnia loca intermedia: Sed non potest Angelus descendens v. g. a caelo in terram, omnia loca intermedia unico instanti contingere: alias simul contingeret plura loca naturalia suae virtuti adequata, & simul esset in caelo, & in aere intermedio, quod disputatione precedenti ostendimus esse impossibile, & expresse negatur a Damasceno libro a. fidei cap. 3. dicente, Angelum non posse simul esse in caelo & in terra: Ergo motus continuus Angeli, non potest fieri in instanti.

Potest haec ratio illustrari exemplo corporis bicubitalis, quod si unico momento columnam centum cubitorum pertransiret, simul in pluribus locis sibi adequatis existeret. Ergo similiter, si Angelus in una leuca, tamquam in loco sibi adequato existens, unico instanti spatium centum leucarum motu continuo pertransiret, in pluribus locis adequatis simul exisset.

Haec duae rationes probant etiam motum discretum Angeli non posse fieri in instanti, quod sic ostenditur. Successio

unus operationis post aliam, non potest fieri in instanti; implicat enim in instanti esse successivum, alias instans esset divisible in partem priorem & posteriorem: Sed motus discretus Angeli est successio hujus operationis post aliam: Ergo in instanti fieri nequit. Minor probatur: Motus discretus Angeli importat unam operationem, per quam Angelus fit in termino a quo, & aliam por quam fit in termino ad quem: Sed non potest utramque istam operationem importare, ut simul existentem; alias illi duo termini non essent termini a quo & ad quem, sed haberent rationem unius loci ad quem, resultantis ex duobus partibus: Ergo motus discretus Angeli est successio unius operationis post aliam. Major patet: Nam omnis motus proprie sumptus debet esse inter duos terminos positivos, per hoc enim differt a simplici mutatione: Ergo motus localis discretus Angeli, debet esse inter duo loca in quibus Angelus existat. Atqui (sublimo) Angelus existit in loco per operationem, ut supra vidimus disp. 4. art. 1. Ergo motus localis discretus Angeli debet importare unam operationem, per quam fit in termino a quo, & aliam, per quam fit in termino ad quem.

Præterea, si Angelus unico instanti posset duo corpora motu discreto contingere, posset in unico instanti in duplici loco sibi adequato existere: supponimus enim quodlibet corpus successivo contactum ab Angelo, esse locum ad quemque illius.

Denique probatur conclusio ratione D. Thomae hic art. 3. quae potest sub hac forma proponi. Mutationes instantaneae sunt termini alicujus motus continui: Sed motus discretus Angeli non est terminus alicujus motus continui: Ergo non est instantaneus. Minor est evidens: Major probatur primo inductione in omnibus mutationibus quae naturaliter in instanti sunt: nam generatio est terminus praeviae alterationis, & illuminatio terminus motus localis quo Sol ad orientem nostram accedit.

Secundo probatur ratione: Non est possibile quod aliquid toto aliquo tempore quiescat in aliquo termino, & in instanti terminativo illius temporis sit in alio termino, sicut enim de ratione intrinseca motus est quod in quacunque parte signatur, vel in quocumque indivisibili motus; etiam in illo quod intrinsece terminat motum, mobile ab alio modo se habet quam prius: ita in quocumque parte signata, vel in quocumque indivisibili quicquid privative (de qua loquitur S. Doctor) quiescens debet eodem modo se habere ac prius, etiam in ultimo indivisibili extrinsece illam terminante: quies enim exigit uniformitatem, sicut motus difformitatem: Atqui si illud quod toto aliquo tempore in aliquo termino quiescit, in instanti terminativo illius temporis esset in alio termino, in tali instanti non eodem modo se haberet ac prius, ut patet; esset siquidem in diverso tempore quiescat, & quod in instanti terminativo illius temporis sit in alio termino: alioquin in illo instanti simul quiesceret & non quiesceret, ac se haberet & non haberet eodem modo, ut considerandi pareret.

Haec rationem directam opponit S. Doctor fundamento contrarie opinionantium, aitato initio corporis articuli: ponebant enim motum Angeli esse in instanti, quia ut dicebant, dum movetur ab uno in alium locum, toto tempore procedenti est in termino a quo, ultimo vero instanti terminativo illius temporis, reperitur in termino ad quem: ita ut non possit dari ultimum instans in quo fit in termino a quo, sed primum in quo in illo non fit: sicut in generatione substantiali, & in illuminatione aeris, non datur ultimum instans in quo materia fit sub privatione formae, & aer sub tenebris, sed solum ultimum tempus.

S. II.

Instanti contra hanc rationem D. Thomae proponitur & solvitur.

Contra hunc discursum D. Thomae, & specialiter contra propositionem illam cui innititur: Non est possibile ut aliquid toto tempore procedente quiescat in uno termino, & postea in ultimo instanti illius temporis sit in alio termino: plures ab adversariis fieri solent instanti. Primo obijciunt: Toto tempore quo Sacerdos profert verba consecrationis, substantia panis quiescit sub speciebus, & in instanti terminativo sub illis adest corpus Christi.

Secundo: Aer toto tempore antecedente accessum Solis ad nostrum hemispherium, quiescit sub tenebris, & in ultimo instanti illius temporis illuminatur.

Tertio, Materia prima toto tempore antecedente instans generationis, quiescit sub forma compositi corruptibiles, & in instanti terminativo illius, est in termino ad quem, scilicet sub forma compositi de novo generati.

Denique, Angelus quiescit ab intelligence & voluntate, toto aliquo tempore, absque eo quod cogatur quiescere in ejus instanti terminativo: Ergo principium illud a D. Thoma assumptum, verum non est.

Haec tamen levia sunt, & rationem D. Thomae non in-

fringunt: nam principium illud debet ita intelligi, ut scilicet quod quiescit in aliquo termino per aliquod tempus, non possit in ultimo instanti illius temporis esse in alio termino, per mutationem qua fit ex contrario, aut latitudine, five distantia vincenda, sed vero per mutationem puram & simplicem, qua est de non esse ad esse: quia ad tollendum non esse, sufficit positio formae; ad tollendum vero contrarium, aut vincendum latitudinem five distantiam, requiritur aliam mutatio, & non quies sub illa. Converso autem panis in corpus Christi, illuminatio aeris, generatio substantialis, & intellectus aut volitio Angeli, non sunt mutationes quae pendant per se loquendo ex aliquo contrario, latitudine, aut distantia vincendis; sed sunt simplices mutationes ex puro non esse, seu ex pura negatione aut privatione; unde exempla illa ab Adversariis adducta non sunt ad rem.

Adde falsum esse, quod materia quiescit simpliciter toto tempore alterationis, immo movetur ipso motu alterationis, dissonante ad corruptionem. Similiter aer toto tempore antecedente motum Solis ad nostrum hemispherium, alique modo movetur, mutatione saltem respectiva, quatenus sit continuo minus distans a Sole, ex eo quod Sol illi magis ac magis appropinquat per motum localem. Ratio autem quae eo quod Sol magis illi appropinquat, corpus vero frigidum non dicitur moveri ad calorem, praesice esse eo quod approximatur ipsi calidum, est quia per hoc solum movetur aliquid ad aliquam formam, per quod tollitur ab ipso impedimentum talis formae; impedimentum autem lucis in corpore illuminando, non est forma aliqua positiva contraria, in ipso existens (sicut impedimentum caloris in corpore frigido, est frigiditas) sed sola distantia corporis luminosi: Ergo &c.

S. III.

Solvuntur aliae objectiones.

Obijciant insuper Adversarii: Velocitas motus, quo Angelus transit continue de uno extremo ad alterum, per omnia media, potest excedere five proportionem velocitatem motus, quo corpus pertransit eodem modo idem spatium: Sed hic excessus non potest esse, nisi motus localis Angeli posset fieri in instanti; nam inter quoslibet duo tempora finita est aliqua proportio: Ergo motus Angeli continuus in instanti fieri potest.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem: Licet enim velocitas motus continui Angeli, non sic excedat sine proportionem velocitatem motus corporis, ut duratio ejus sit indivisible instans, illam tamen sic excedit, ut possit fieri in minori & minori duratione (divisibili tamen) quam motus quorumcumque corporum. Unde Capreolus in 2. dilt. 6. q. 1. art. 3. ad 3. contra 2. Angelus minoris virtutis eque cito potest transire quantumcumque spatium, sicut Angelus majoris virtutis; hoc si ambobus motu discreto, non transiente per medium: & idem est si ambobus transiente per medium motu continuo. Verumtamen non potest transire in instanti quantumcumque spatium; nec motu continuo, nec discreto, hoc neque transiente per medium, neque transiente sine medio. Sed tamen in quantumcumque parvo tempore velis, potest pertransire: est ad hanc minimum tempus in quo potest pertransire, nec maximam velocitatem sibi possibilem in movendo se: & consequenter nullus potest movere se ipsam summa velocitate sibi possibile.

Dices, Ex hoc sequi virtutem motivam Angeli esse infinitam: Sed hoc non est dicendum: Ergo nec illud. Sequela probatur: Potentia quae potest attingere perfectionem & perfectiorem effectum in infinitum; est simpliciter infinita; nam ex eo colligimus lumen gloriae non posse esse principium videndi Deum, perfectiori & perfectiori modo in infinitum, quia est finita perfectio; e contra vero ex eodem principio inferunt Theologus, Deum esse infinite virtutis, quia potest perfectiorem effectum in infinitum producere: Atqui si virtus Ang. possit moveri in minori & minori tempore in infinitum, poterit attingere perfectiorem & perfectiorem effectum in infinitum: Ergo erit infinita.

Respondeo primo, quod si haec instantia valeret, magis urgeret contra Adversarios: nam si colligeretur vim motivam Angeli esse infinitam, five posse producere perfectiorem & perfectiorem effectum in infinitum, quia posset in minori & minori tempore movere infinitum, multo magis id sequeretur, si posset movere in instanti: si enim requiratur major & major virtus ad movendum in minori & minori tempore, requiratur virtus maxima, & consequenter infinita, ad movendum in non tempore, five in instanti.

Secundo dico, quod sicut non colligitur perfectio infinita in aliqua causa, ex eo quod possit producere plura & plura individua in infinitum intra eandem speciem: ita non colligitur potentiam loco motivam Angeli esse infinitam simpliciter, ex eo quod possit movere in majori & majori veloci-

tate, & consequenter in minori & minori tempore in infinitum: ad hoc enim sufficit potentia finita superioris ordinis: ad potentiam loco motu rerum corporearum, & ab omnibus impediens expedita. Unde in forma respondeo negando sequentem Majoris, ad cuius probationem, distinguo Antecedens. Potentia que potest perfectionem & perfectiorem effectum producere, debet esse simpliciter infinita, si perfectior effectus requiritur in tali causa maiorem perfectionem, concedo Antecedens, si non requirit maiorem illam perfectionem; nego Antecedens. Quamvis autem productio intensioris & intensioris visionis beate, requirit maiorem perfectionem intensivam in lumine glorie; movere tamen in minori & maiori velocitate, subindeque in minori & minori duratione in infinitum, non est de genere horum effectuum, qui requirunt maiorem & maiorem perfectionem intensivam in potentia; sicut nec infinitas individuorum producibilem ab eadem causa: sed solum exigit, ut diximus, remotionem omnium impediendorum, ac potentiam loco motu superioris ordinis ad potentiam loco motu omnium corporum. Unde D. Thomas supra quest. 95. art. 2. ad 3. docet infinitatem divinam potentie non manifestari in motu; cum tamen consistat illam motum velociorem & velociorem in infinitum efficere posse.

Dices rursus: Hinc sequi Angelum superiorem non posse velocius moveri quam inferiorem: quia aque bene potest inferior moveri majori & maiori velocitate in infinitum: Sed hoc videtur absurdum: Ergo & illud.

Respondendo concessa Majori, negando Minorem: nam sicut non est inconveniens, quod Angelus superior non sit magis immaterialis quam inferior, quia utrique convenit immaterialitas simpliciter, ratione elevationis supra gradum corporeum, ita nullum est inconveniens, quod Angelus superior non possit velocius moveri, quam inferior, quia ambo ex elevatione quam in suo motu habent supra corporea, possunt moveri in majori & maiori velocitate: quamvis cum hoc sit, quod Angelus superior habeat nobiliori modo suum illum motum velociorem & velociorem, quam inferior, puta quia potest moveri minus multiplicando operationes circa spatium, propter maiorem spheram activitatis: sicut in corporibus equis habet nobiliori modo cursum equalis velocitatis, quam canis: quia ratione majus extensionis paucioribus gressibus aequalis spatium percurrit aequali tempore.

Adde quod licet Angelus superior non possit velocius & in minori duratione moveri, quam inferior, potest tamen velocius movere corpora: virtus enim quam habet Angelus ad efficiendum motum velociorem & velociorem in infinitum, tantum se extendit ad motum ipsius, non autem ad motum corporum, que cum ex se non sint tanta velocitatis capacia, etiam si ad propria loca moveantur, aliquo modo moventi extrinseco resistunt: unde Angelus qui movet caelum superius, majorem est virtutis & perfectionis eo qui movet caelum inferius: cum caelum superius majori velocitate ab intelligentia moveatur, quam inferius.

Ex his colliges, miram & profusam stupendam esse Angelorum celeritatem, illanque omnium corporum velocitatem incomparabiliter excedere: potest enim Angelus motu continuo, intra brevem temporis morulam, longum spatium peragere: & motu discreto, in duobus instantibus, ab uno loco in alium, quantumcumque distantem, se transferre, non transiundo per medium, ut supra ostensum est: Qua ratione SS. Patres hanc Angelorum celeritatem ita exaggerant, ut dicant esse ubique, & in momento totum orbem peragere. Ita Tertullianus in Apolog. cap. 22. *Omnis spiritus, inquit, ales est, hoc est Angelus & demones: igitur momento ubique sunt: totus orbis illis locus usus est, qui ubique quod geratur tam facile sciunt, quam enuntiant: velocitatis libertatis creditur, quia substantia ignoratur.* Hieron. vero Epist. 25. contra Vigilantium cap. 2. *demones, inquit, retro vagantur orbis, & celeritate nimis ubique presentes sunt:* Item Nazianzenus orat. 32. de celestibus virtutibus ait: *Leva omnia peragant, comibus impigre adsunt, tum de ministris promptissimam, tum de natura levitatem.* Denique Dionysius in caelesti Hierarchia cap. ultimo: *Pennator, inquit, Sanctorum Angelorum pedes Theologia fluxit: penna enim declarat sursum ducere valentiam celeritatem.* Ob eandem rationem ibidem docet eos in scriptura appellari ventos, flammam ignis, nubes, aquas, rotas igneas, flumina, equos &c. quia hac omnia summam velocitatem inveniunt. Interdum etiam in Scriptura ad eandem velocitatem declarandam Angeli dicuntur in momento operari: Sapientia & habetur quod uno temporis momento Angelus Aegyptiorum primogenita interfecit. Et Cyrillus Alexandrianus in commentariis in Habacuc docet illum Angeli manibus in puncto temporis in joveam leonem ubi erat Daniel delatum fuisse, ut ei prandium offerret: quod facer textus innuere videtur, dum ait: *Apprehendit enim Angelus Dominus in vertice eius, & portavit eum capillo capitis sui posuitque eum in Babilone super lacum in impera spiritibus.* Verum licet Angelus potuit subito & quasi in istu oculi transferre Habacuc ex Judaea in Ba-

ARTICULUS UNICUS.

Qua sit mensura esse Angeli, & operationum ejus?

complete & terminative, concedo Antecedens: non movetur incomplete & initiative, nego Antecedens. Habet enim Angelus tunc nam sui motus partem initiative, & dispositivam ad aliam; ad quod non requiritur quod in eo instanti mutet locum, sed sufficit quod ei competat existentia in termino a quo, cum ordine ad presentiam in termino ad quem immediate acquirendam: sicut oratio, quae est quantitas discreta, dicitur incipere in prolatione primae syllabae, ut dicentis ordinem ad aliam, immediate sequentem.

Queres ad complementum praedictorum, per quod Angelus seipsum & alia corpora moveant, seu quodnam sit in illis principium proxime effectivum motus localis, & aliarum operationum ad extra?

Respondendo multo probabilius esse, & doctrinae D. Thomae conformius, potentiam loco motivam & ad extra operativam in Angelis non distingui ab intellectu & voluntate, sed esse ipsam intellectum practicum, quatenus per actum imperii, formaliter immanentem, & virtualiter transcurrentem ad extra operatur. Ita colligitur ex Aristotele 12. Metaph. textu 40. ubi ait intelligentiam movere caelos, ut desiderantes & intelligentes, & ex D. Thoma q. 16. de malo art. 1. ad 14. quodlib. 6. art. 2. & opus. 11. art. 3. dicente Angelos movere caelos, conceptione sui intellectus efficiat. Ratio etiam illi fadet; Cum enim Angelus sit substantia simplex & pure intellectualis, non possunt in illo dari nisi potentiae quae a gradu intellectuali dimanant, & quae proinde pure spirituales sunt: illa autem sunt tantum duae, intellectus scilicet & voluntas: Ergo quidquid Angelus ad intra vel ad extra operatur, id mediantibus illis duabus potentiis praestare debet, subindeque vis illius exequens, fen potentia tum se ipsum tum alia movendi, est ipsa voluntas ut movens intellectum, vel potius intellectus ut motus a voluntate, & efficaciter imperans motum localem in corporibus. Quare motus localis casualis in corpore ab aliquo Angelo, non proprie comparatur ad intellectum & voluntatem Angeli, sicut actus elicitus, sed potius sicut effectus ab illis potentiis, mediantibus propriis actibus productus.

Dices: Si potentia operativa ad extra, sive loco motiva, esset in Angelo realiter indistincta ab intellectu & voluntate, quidquid Angelus vellet & intelligere, posset & facere, siquae esset omnipotens, cum nihil sit quod non possit velle & intelligere.

Respondendo negando sequentem, Sicut enim non valet intellectus practicus & speculativus idem realiter sunt: Ergo quidquid voluerit speculativus, possit velle & facere: Sicut, inquam, non valet hac consequentia, nam solo naturali lumine speculativo cognoscimus Deum esse summum bonum, ac propterea summo modo diligendum, & tamen solis viribus naturae non possunt id practice iudicare: ita similiter quamvis in Angelo principium intelligendi & operandi ad extra, realiter non differant, non sequitur tamen, quod quidquid Angelus potest intelligere, possit & operari, sed intellectus ut practicus, seu ut potentia operativa, habet limitatam activitatis spheram, quam non habet ut est speculativus, & principium cognoscendi & intelligendi.

Dices rursus: Modus agendi dumtaxat per imperium, non est convenientis illi creature, sed soli Deo possibili, cujus voluntati omnia subiecta sunt.

Respondendo, modum agendi dumtaxat per imperium, non esse convenientem illi creature pure corporeae, vel mixtae, seu constanti ex spiritu & corpore, bene tamen substantiae simplici & pure intellectuali: cum enim in ista non possint dari nisi potentiae pure spirituales, quae sunt tantum duae, intellectus scilicet & voluntas; quidquid agit vel ad intra vel ad extra, hoc totum mediantibus illis potentiis, subindeque per actum imperii, elicunt ab intellectu, ut motus & applicatio a voluntate, operari debet, ut supra diximus. In hoc tamen differt imperium Angeli ab imperio Dei, quod primum est limitata & finita virtutis, habetque determinatam suae activitatis spheram: Divinum vero est infinita virtutis & efficaciae, & se extendit non solum ad ea quae sunt, sed etiam ad ea quae non sunt, ut ait Apostolus ad Romanos 4.

DISPUTATIO VI.

De aeo & tempore Angelorum.

Explicato motu Angelorum, consequens est, ut mensuram existentiae & operationum ejus exponamus. Unde fit

com.

Dico primo, esse Angeli, mensurari aeo. Ita D. Thomas supra q. 19. art. 5. & quodlib. 5. art. 7.

Probatur: Esse Angeli non potest mensurari tempore, nec aternitate: Ergo aeo est propria ejus mensura. Consequenter patet: quia tres tantum dantur mensurae durationis rerum, scilicet aternitas, aeo & tempus. Antecedens vero, quoad primam partem, est etiam manifestum: Nam tempus est solum mensura rerum successivarum & corruptibilium: esse autem Angeli est totum simul, & incorruptibile, supposito influxu divino quem connaturaliter postulat, ut disp. 1. art. 4. ostensum est: quoad secundam vero partem convincitur ex ipsa aternitatis natura, quae definitur duratio rei omnino immutabilis, qualis profecto non est substantia Angeli, quippe quae (ut ibidem monstravimus) pluribus mutationibus obnoxia est.

Confirmatur: Nam ut docet D. Thom. loc. cit. aternitas mensurat durationem rei omnino invariantem, & secundum substantiam & secundum operationem: tempus mensurat durationem rei variabilis in esse & in operatione, nam mensurat res corruptibiles, quae sunt in perpetuo fluxu & corruptione: unde D. Basiliius homil. 1. in Exameron ait: *Qua sunt orta, quia aut incrementa aut decreta suscipiunt, fluxione autem stabilitatemque nullam aut perennem obtinent, & temporis ipsius constantem naturam: aeo denique medio modo se habet, nam mensurat esse invariable, & tamen admittit variationem secundum operationes. Sublimo autem: Sed Angelus, licet sit immutabilis secundum esse substantiale, computatorem secum mutabilitatem, quantum ad aliquas operationes; quia Angeli mutabiles sunt & secundum locum, & secundum diversas cogitationes & affectiones, quas possunt exercere vel non exercere quando voluerint: Ergo esse Angeli aeo mensuratur.*

Confirmatur amplius: Esse Angeli est inferioris ordinis ad esse divinum, & superioris ad esse rerum corruptibilium: Ergo debet mensurari aliqua mensura, quae sit inferior aternitati, & superior tempori, cum inter mensuram & mensuratum debeat esse proportio: Sed hac mensura nulla alia esse potest quam aeo, quod, ut ait D. Thom. ubi supra, medium est inter aternitatem & tempus: Ergo idem quod prius.

Obijcies: Duratio Angeli, cum sit indivisibilis & tota simul, continet omnes temporis differentias, & coexistit presenti, praeterito, & futuro: Sed omnibus temporis differentia coexistere proprium est aternitatis: Ergo duratio Angeli non est aeo, sed aternitas.

Respondendo quod licet in Angeli duratione non sit aliqua successio, sed suam durationem totam simul habeat, in ea tamen actu continentur omnes differentiae temporis: quia ut aliqua duratio possit simul continere praesens, praeteritum, & futurum, non sufficit quod sit indivisibilis & tota simul, sed insuper requiritur quod intra lineam durationis sit infinita: unde cum aternitas utroque hoc privilegio gaudeat, & sit duratio infinita simul & indivisibilis, utpote mensura esse divini, quod est infinitum & simplicissimum, in unico nunc indivisibili omnes temporis differentias continet, & ut ait D. Bernardus serm. 80. in Cantica: *Tempora sub ea transeunt, non est: futura non expectat; praeterita non cogitat, praesentia non experitur.* Aeo vero, quamvis sit indivisibile & totum simul, cum tamen sit finitum, utpote mensura esse Angeli, quod finitum & limitatum est, non coexistit rebus temporalibus, nisi quando actu sunt, & earum transitum & adventum expectare debet, ut ea continere & mensurare possit. Unde aeo assimilatur baculo fixo in medio fluminis, vel arbori ad ripam plantatae, quae non coexistit simul & semel toti aquae fluenti, sed paulatim & successively, non quidem per sui mutationem & successionem, sed per mutationem & fluxum ipsius aquae, quae continuo fluit ac decurrit. Aternitas vero ratione sui vastissimi finis, recte comparatur ripae aut alveo, qui totam aquam fluminis semper continet, nec ejus fluxum & transitum expectat, ut illam mensuret: nam ut ait D. Thom. sup. q. 14. art. 13. *Aternitas tota simul existens, ambis totum tempus.* De quo plura diximus in Tractu de scientia Dei disp. 4. art. 7. agendo de praesentia rerum in aternitate.

Dico secundo, operationes Angelorum diversas habere mensuras, & aliquas mensurari aternitate participata, alias aeo, alias tempore discreto, & alias tempore continuo.

Explicatur & probatur conclusio. Diversae sunt in Angelis operationes: prima & omnium nobilissima est ipsa visio Dei Beatifica: secunda est cognitio naturalis qua se cognoscunt, & amor quibus cognoscunt & amant alias res extra se: quarta est actio transiens, qua vel Dei iussu, vel proprio motu movent aliqua corpora, vel aliquem effectum ad extra producunt. Prima operatio mensuratur aternitate participata.